



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Do. VII. post ferias pent. Eu. Nisi abundauerit. Matthæi. 5. Homiliæ  
quatuor. Vltimæ homiliæ sunt de ira.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

**Apoc. 21** bis, quæ uitam & ordinem bonorum non seruat: Isthic uero abstergit deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & amplius non erit neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor. Ideoque & hic pisces sub aqua trahuntur ad littus, siquidem boni homines post mortem abscondiri latent in somno pacis, donec perducantur ad littus resurrectionis. Hic nauiculæ duæ sunt ex Iudæis & gentibus collectæ, illic una tantum, quoniam & ouile, unicum erit in uita æterna. Eoque nomine illic pisces magnos tantum ceperunt, siquidem sancti omnes reges magni sunt & sacerdotes. Vnde dominus quoque dixit: **Quis** quis fecerit & docuerit, magnus uocabitur in regno caelorum. Atqui hic in mari mundi huius pisces capimus magnos & paruos, bonos malosque: & pars quidem in reti permanent, pars rupto reti excidunt, alios quosdam tandem ad consummationem mundi efficiunt. Deus & dominus noster gratiam nobis suam impartiarur, quatenus & nos hic capiamur in nauicula ecclesiæ, & in die nouissimo cum alijs magnis piscibus concludamur ad dexteram, pertrahamurq; ad littus felicitatis æternæ, quam omnibus nobis concedat **Christus Iesus dominus noster.**  
**Amen.**

## DOMINICA SEPTIMA

PTIMA POST FERIAS PENTECOSTES

tecostes euangelium

Matthæi V.





**I**n illo tempore dixit  
Iesus discipulis suis:  
Nisi abundauerit iustitia  
uestra plus quā scriba-  
rum & pharisæorū, non  
intrabitis in regnum cæ-  
lorum. Audistis quia di-  
ctum est antiquis, Non  
occides. qui autem occi-  
derit, reus erit iudicio.

*Erodi. 29  
Deute. 5  
Iaco. 5*

Ego autem dico uobis,  
quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudi-  
cio. qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit  
concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehē-  
næ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare,  
& tibi recōrdatus fueris quia frater tuus habet ali-  
quid aduersum te, relinque ibi munus tuum an-  
te altare & uade, prius reconciliare fratri tuo, &  
tunc ueniens offeres munus tuum.

*Leui. 22  
Ecci. 35  
Deut. 15  
Malac. 2  
Luc. 12*

HOMILIA PRIMA.

**I**n saluberrimo hoc sermone, charissimi, quem in mō-  
te habuit dominus, & super quem Augustinus libros  
duos conscripsit, inter reliqua etiam docuit ille per-  
fectionem legis euangelicæ supra Mosaicam istam. *Augustin.*  
Unde & dixit: Non ueni soluere legem aut prophetas, sed *Matth. 5*  
implere. Quicquid ergo defectus extitit in lege ueteri,  
Christus in noua consummauit & perfecit. lex enim ad  
perfectionem adduxit neminem. Et quamuis discrimen *Heb. 7*  
legis & euangelij magnum quid est, & per uniuersam scri-  
pturam latissime extendi posset, nunc tamen animus non  
est à contextu euangelico discedere. Dicit ergo dñs: Nisi

DD ij



abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Dicitur hoc est praeter latis ecclesiae, apostolis & successoribus eorundem, successoribus inquam in potestate, honore & dignitate, atque utinam etiam in uita. Eos nimirum iustiores esse uoluit per latis synagogae. At qui expositio illius uidetur non parum difficilis. Augustinus quidem sic intelligit: Quoniam antea dixerat dominus de impletione magnorum & paruorum preceptorum, cuiusmodi est illud, Non occides, addit Christus, ut perficeretur lex non tantum non occidendum esse proximum, sed ne irascendum quidem illi sine causa. Atque sic iustitia euangelica superare debet pharisaeam istam. Minimum itaque illud est, non occides, quod quisquis seruat, non statim ideo magnus erit in regno caelorum, si autem consurgat in gradum sublimiorem, & ne succenseat quidem illi temere, tunc sane & perfectior erit, & multum alienus ab homicidio. Sicque illud quasi declararet superiora, quando dixit dominus, non uenisse se soluere legem, sed implere. Ecce enim praecipit lex, Non occides: impleuit dominus & adiecit, quod deerat, nec indignaberis illi sine causa. quod quanto perfectius est illo, quod ex ira aut similibus adfectibus prouenit?

2. ¶ Alio porro in loco Augustinus sic inquit: Nisi abundauerit iustitia uestra super scribarum & phariseos. i. super iustitiam eorum, qui soluunt quod docent. De scribis autem & pharisaeis dicit alio loco, quoniam dicunt & non faciunt. Nisi ergo super eos abundauerit iustitia uestra, id est, ut uos non soluatis, sed faciatis potius quod docetis. Vult dicere Augustinus: Omnis istorum iustitia in sola consistebat doctrina, eaque sana quidem erat, sed tamen illam opere non implebant, sicut alibi dicit dominus: Super cathedram Moysi. Chrysostomus inquit: Docere absque operibus, condemnat docentem, cum itaque primum se aliquis ipse contemnerit, tunc eundem etiam erga alios congruit esse diligentem, ideoque ille putat Lucam de domino loquentem, praeposuisse operationem uerbo, quum ait coepisse eum facere & docere. Ecce quomodo praecedat opus. Quia tunc potest quis ad docendum uenire, quum ipse impleuerit opere quod sit docturus. Consonat & Hieronymus, dicens: Magistri



eruditio, etiam si paruo peccato obnoxio sit, deducat eum de gradu maximo: nec prosit docere iustitiam, quam minima culpa deseruit. Et beatitudo perfecta sit, quæ sermone docuerit, opere complere. Vtraque hæc expositio bona utiq; est, sed tamen prior illa aliquanto melior, & rextui accommodatior. Adhuc tamē plures inuenio istorum uerborum expositiones, & inter reliquas hæc etiam una est. Quandoquidem enim lex Mosaica manum tantū (quod aiunt) prohibebat, opusq; illud externum uerabar, insuper euangelium animum quoq; & cogitationes restringit, eo quod in lege pœna posita non erat iis, quæ quisque in animo suo perpetrauerat. siquidem qui legem istam tulerat, homo purus erat, nec cogitationes hominum cognoscere poterat. Euangelium autem pœtūm punit tam cordis q̄ operis; qm̄ qui illud nobis dedit, uerus de⁹ & hō est, sicq; renes scrutat & corda. Iudæi porro persuasam, istā habebāt opinionē puerfam, se aīo & cogitatione nō peccare, si ope nō implerent. dicebant enim, Occidere hominem, pœtūm est: uelle occidere, nō item, si non occidas facto. Testatur idipsum ex Iudæis non infimus Iosephus, qui quum de morte scribit Antiochi, contra quem Machabæus pugnauit, quemq; Polybius historicus eo refert miserius esse demortuum, quod in ciuitate Psidia (uel ut alij legunt Præsidia aut etiam Perside) templum Dianæ spoliare uoluerit, idipsum refurans Iosephus, dicit: Qui nullatenus egit pœtūm, sed tantum cogitauit, nullo reatu tenetur. Conceptam itaq; istam uanam Iudæorum persuasionem hic dominus noluit refellere, quoniam non opere tantum, sed & animo & cogitatione grauius peccari solet. Atq; hoc est quod dicit dominus: Nisi abundauerit iustitia uestra plus quā scribarum & pharisæorum, non quod per hoc dominus legem cuperet reuocare, quoniam interroganti adolescenti, quid faciendū sibi esset ad possidendam uitam æternam, respondit: Si uis uitam ingredi, serua mandata. sed quia hic & alibi homines ad seruanda præcepta maxime decalogi subinde adhortatus est, illaque planius explicauit in uero sensu, & errores Iudæorum reiecit, sicut ipsa etiam litera clare testatur. Atq; hæc ipsa etiam expositio, licet ab illa priori Augustini multum aliena, in

Li. 12. c. 18  
1. Mach. 6.

Matth. 19





se tamen est uerissima. Quartam insuper uerborum illorum inuenio expositionem, eamque huiusmodi, quod dominus existimari scribas & pharisaeos adhuc rudes fuisse in praeceptis diuinis, quod nimium inhærent externis ceremoniis: hic autem Christus ueritatem ostendit, ueraciter lucem euangelij dedit hominibus, ubi ueteres uix umbram habuerant futurorum. Atque illa hic sententia est Chrysostomi, qui multis etiam uerbis contra Manichaeos docet, Christum non reiecisse legem, quoniam licet imperfecta, à deo tamen fuerit. Quod si ergo Iudaeus aliquis bene se gessit in circumcisione sua, circa sacrificia & templum, decet Christianum adhuc esse perfectiorem, ut ultra hoc in corde suo sacrificium offerat domino, simulque mylticam legis significationem expendat & bona aeternae salutis. Quando igitur praepurium circumciderunt Iudaei, Christiani circumcisionem hanc obseruauerunt in spiritu, non secundum literam: & pro agno paschali atque oblationibus & sacrificijs bouum, uitulorum & ouium, nos iam offerimus deo agnatum immaculatum Iesum Christum. Porro Chrysostomus etiam de iustitia sic ait: Quod illa hic uniuersam dicit uirtutem, sicut de sancto Iob dicit: Erat homo iustus & sine querela, non quod ille iustus tantum fuerit, quoniam multas etiam alias habuit uirtutes, prudentiam, constantiam, patientiam, pudicitiam, pietatem &c. Quum itaque lex euangelica praestantior sit & superior quam Mosaica, idque in multis dominis domini, in sacramentis, in sacerdotio, in oblationibus, in remissione peccatorum, in apertione caeli, utique etiam capita ecclesiae apostoli, euangelistae, martyres & doctores maiorem habuere sanctimoniam, quam patriarchae & prophetae ueteris legis, Abraam, Noe, Moyses, David, Isaias &c. sicque reliqui Christiani in iustitia superent & excedant Iudaeos, plebs plebem. Quid autem mirum, si illi ipsi fuerint inferiores, qui & illuminati nondum erant, & rudes adhuc erant discipuli, neque uerum illum doctorem habuerant spiritum sanctum, quem discipulis demum suis misit Christus, qui eos omnem doceret ueritatem: Dixit itaque apostolis dominus, quod iustitia eorum abundantior esse debeat, quam scribarum & pharisaeorum: ita nimirum, quia (ut ait Gregorius) quum augentur donationes etiam crescunt donorum. Quando igitur in no-

Heb. 10

Roma. 9

Chrysost.

Job. 8.

Johan. 16

Greg. sup  
Matth. 23



na lege huberior promissa est remuneratio, & gratia spiritus sancti eminentior, oportet etiam in ea pugnam esse magis arduam difficilioremque. Non enim tam lacte & melle manans terra promittitur, non senectus huberior, nec numerositas filiorum, non frumenti uniusque copia, non ocium, atque armentorum greges, sed cælum & ea quæ sunt in cælo bona, & filiorum adoptio, ac cum unigenito iuncta fraternitas & societas hæreditatis, & glorificari & cõregnare, & præmia illa quæ promittunt innumera. Merito igitur iustitia nostra abundare debet ultra istam pharisæorum & scribarum.

Chrysost.

3. **A**ccedat ijs omnibus sententia quinta. Iudæi enim constitutiones quasdam fecerunt, quæ partim aduersabatur legi diuinæ, partim licet non erant illi contrariæ, ab eis tamen magis diligentiusque obseruabant, quam mandata domini, sicut ob id increpauit eos dominus, dicens: **Quare & uos transgredimini mādatum dei, ppter traditionē uestram?** Nam deus dixit, **Honora patrem & matrem, & Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur.** Vos autem dicitis, **Quicumque dixerit patri uel matri, munus quodcumque est ex me, tibi pderit, & non honorificauerit patrem suum aut matrem suam, & irritum feceritis mādatum dei, ppter traditionem uestram.** & alio in loco: **Næ uobis duces cæci, quod dicitis, Quicumque iurauerit per templum, nihil est: quod autem iurauerit in auro templi, debitor est.** Stulti & cæci, quod enim maius est auro, an templum quod sanctificat auro? Ecce qua maturitate dominus corripit Iudæos, quod contempna lege domini, proprias sanctiones confirmabant, inutiliter utique & frustra, dum quod in lege minimum erat, non seruabant. Est illa etiam hic sententia Hieronymi: **Voluit ergo dñs prælatos & apostolos noui testamenti perfectiores esse pharisæis, atque nec parua, nec magna negligere mādata.** Habetis itaque hic iam charissimi, uariam illos uerborum expositionem, quod iustitia apostolorum, imò & Christianorum omnium abundantior esse debet, quod uel scribarum uel pharisæorum. Non tamen hæc intelligi sic debent, quasi lex Mosaica etiam Christianis sit seruanda secundum literam, demptis moralibus. Ceremonialia namque, ut de sacrificijs, de purgationibus, de cibis, phibitis, de

Matth. 15

Matth. 23

Hierony.



non edendo lepore aut porco, & similia innumera, quia non continent in se perfectionem essentialem, sunt abolita. Sic & iudicialia eorum mandata, quoniam & nimis erant graua, & charitatem offendebant, corruerunt.

- Actus. 15** Quomobrem ait Petrus: Quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos, nec patres nostri portare potuerunt? Et hoc est quod manus
- Exodi. 17** Moyfi graues fuerunt, ad significandam legis immodicam duritiam. Eodem pertinent & tabulae legis lapideae. Lapis enim durus est & grauis. lex autem euangelica descripta est in cordibus hominum mollissimis, quae etiam ratio, quod Christus ipse nil scripsit. Causa autem grauitatis legis Moisaicae, acerbitas est poenarum, quoniam illic lex ualebat talionis, oportebatq; dentem pro dente, oculum dare pro oculo: graues etiam erant manus illae, quod intellectus spiritualis ibi obscurus & absconditus latebat. Sicq; quod agnus paschalis assus Christum significauit, obscurum quid erat, & Iudaeis incognitum. Quod mare rubrum designauit baptisimum, nonne obscurum erat? Quod hirci duo geminam in Christo naturam significauerunt, iridem latebat Iudaeos, & sic in similibus. Grauis quoque erat lex Moyfi propter ingentem istam mandatorum multitudinem. prohibitiua enim tantum erant trecenta sexaginta quinque, & praecipua ducenta quadraginta octo. quae si coniungas, habebis praecipua sexcenta tredecim. Quibus nonne putas multum oneratos esse simplices? neque uero in hoc numero constituerunt praecipua, sed alia ex alijs subinde subnascebantur noua. Atqui lex ista omnis ex dilectione dependet dei & proximi, quam quis dubitet fuisse feruentiorem in apostolis & martyribus, quam in patribus ueteris testamenti?

**Contra Faustum.** 4. Bene expendit Augustinus illud, quod dicit dominus, Non intrabitis in regnum caelorum: hoc inquam illud, quod toties in euangelio repetitur, regnum caelorum. Ait ergo: Denique quod non temere dixerim, nescio utrum quisquam in illis libris (ueteris testamenti) inuenit nomen regni caelorum, quod tam crebro nominat dominus. Hoc enim proprie pertinet ad reuelationem noui testamenti, quod ori eius nominandum seruabatur, quem regem ad



regendos, & sacerdotē ad sanctificandos fideles suos, uni  
 uersus ille apparatus ueteris instrumenti parturiebar. Sed  
 & illud quod ait, **Intrabitis, temere dictum non est.** Vult  
 enim dominus ministros suos semper ire debere de uirtu  
 te in uirtutem, atq; crescere in operibus bonis, in meritis,  
 & tandē in remuneratione uitæ æternæ. Sic inquit Iere  
 mias: **Venite, nolite stare, recordamini procul domini, &** **Jeremi. 51**  
**Ierusalem ascendat super cor uestrum.** Quisquis seruire  
 uult deo, ne moret, neq; stet, sed procedat semper, quoni  
 am legis lator dabit benedictionem, & ibunt de uirtute  
 in uirtutem. **Quo facit illud Bernardi: Stare in uia dei, est** **Bernar.**  
**retrocedere quoniam qui in gratia dei est, quicquid tunc**  
**facit, id omne ei meritorium est, dicente Paulo: Diligen** **Roma. 8**  
**tibus deum omnia cooperantur in bonum.** Admonitos  
 itaq; uos omnes uolo, ut solicite & diligenter studeatis &  
 inuigiletis uoluntati diuinæ, efficiatis præsidio gratiæ  
 dei, ut iustitia uestra abundet plus quàm Iudæorum uere  
 rum: sicq; uos intrare tandem possitis regnum cælorum,  
 quod omnibus nobis concedat deus, Amen.

HOMILIA II. DOMINICAE

Septimæ à ferijs Pente  
 costes.

**I**n monte excelso sublimia etiam loquutus est domi  
 nus mysteria, & magna præcepta dedit apostolis: ac  
 deinde minus magna & grauiora docturus plebem, de  
 scendit de monte. Vnde & Beda dicit: **Quibus in mōre ape** **Beda.**  
**rit, ut magna sublimiter audiant, in eos oculos stans in cæ**  
**po dirigit, ut audita parenter intelligant.** Inter illa ergo  
 ardua & excelsa, docuit se eum esse, qui legem impleturus  
 erat, non soluturus, ideoq; & apostolis commisit, ut iusti  
 tiam haberent abundantiore[m] quàm pharisæi. Id ipsum  
 iam porro plenius explicat in quibusdam specialibus mā  
 datis. **Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non occi**  
**des. Ego autem dico uobis, Quicumq; occiderit, reus est iu** **Chrysost.**  
**dicij.** Admiratur hic Chrysostomus summā illā sapientiā  
 dei, quod dicit hic Christus, **Dictum est antiquis: non au**  
**DD v**



tem, Ego dixi antiquis, neq; sic, Pater meus dixit antiquis, & ego dixi uobis. poterant enim inde sibi ansam arripere discipuli cogitandi, quid ita ille sibi nimium tribueret, siquidem adhuc erāt nouitū in fide, & inde oportebat dominum nō nihil parcere ipsis, ne forte offenderetur. Quoniam licet mētiri nemo debeat, nemo tū semper tenetur dicere ueritatem. sic nanq; ubi uel nihil prodest, uel plus obest quā proficit, celanda ueritas est. Sunt quidam rudes homines, qui uidentur sibi præclare fecisse, si quouis in loco citra omne discrimen ueritatem dicant. Male sane, & in multis casibus inique satis. Sed hæc aliās. Dictum est antiquis, Non occides. De hoc præcepto non est animus iam multa dicere, sed differam usq; in materiam 10. præceptorum.

**Li. 1. ca. 20** Pulchre autem super hoc scribit Augustinus. sed & illud mitto. Dictam, ait, est antiquis. Quo uerbo declarat de ciui. dei

**Exodi. 20** illud, multum iam temporis abiisse, quo præceptū hoc datum sit per Moysen. Orditur itaq; de antiquis dicere historici, ut animos discipulorum faceret attentiores, sicq; audirent diligentius, quid deinceps eis dominus esset dicturus. Neq; id tamē temere factū est q̄ ille hic ab eo præcepto orditur, a q̄ lex cœperat in moralib⁹, autore Chryso.

**Chryso.** ¶ Quæras aut, quando ueterem illā legē implere uoluit dominus, cur nō præcipuis illis tribus primis exorsus? Respondeo, quia primū mandatū pertinet ad diuinā essentiam in sua ueritate, tertiu autē in sua bonitate. Ideoq; & colendus ille ut deus uerus est, & propter bonitatē suā peculiare aliquod tempus ei sanctificandū. Istud uero in omnī lege fuit cōmune. statim. n. omnibus creatis, sanctificauit deus diē septimū. quā ob rem nō sunt hic gradus ut in reliquis præceptis. Secundū autē mandatū de iuramento, q̄ species uarias habet, ideo in sequētibus etiā cōmemorat. Cæterum quartum de honore parentū nō proponit hic dominus. siquidē natura ad hoc inclinatur, & gratia dei deinde perficit quod deerat naturæ. Non fuit itaq; necessarium singulatim illius meminisse, quando. n. & natura hoc iubeat, & charitas dei, minus quoq; in eo erit defectus. Atq; hoc de causa a proximo præcepto exorsus est hic Christus, & dixit: Non occides. qui autē occiderit, reus erit iudicio. Iudicium hōc habemus in Exodo: Qui percussit

**Exodi 21.**



hominē uolens occidere, morte moriatur. Huiusmodi ferē iudiciū dedit dñs Petro: Qui gladio pugnat, gladio pibit.

2. ¶ Tribus iam porro gradibus mandati hoc dominus implet, quos prim⁹ hic est: Ego autē dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Vidisti, inquit Chrysoſtomus, perfectā utiq; potestatem, uidisti dignitatem, quā latorē certe legis deceret, quis em̄ prophetarum ita unq; locutus est? quis iustorū? q; patriarcharum: Nullus omnino, nam illi per singula sēpius inferebant. Hęc dicit dñs, sed nō ita loquit & filius, illi n. domini uerba, hic uerō patris annūciat. Dices: An ne semper irascit̄ est? Dissiteor, nam & Dauid dixit: Irascimini, & nolite peccare. Quādo autē ira p̄ctm̄ sit aut nō, statim audiemus. Hoc iam admoneamus, q; Augustinus & Chrysoſtomus hic legunt: Qui irascit̄ fratri suo sine causa, uel temere, qm̄ cum ratione & ex causa indignari suū modum habet. (exemplar Vaticanum habet ἄλλῃ, sed in Latino nihil est quod illi respondeat) & Augustinus quidem uult istud ipsum sine causa, in sequētib; omnibus intelligi debere (q; uis Hieronym⁹ censet radendū esse illud, sine causa) sic, ut accipias eum, qui sine causa irascit̄, sine causa dicit Racha uel facie. Hic per irā cōmuniter intelligunt doctores rancorē conceptum in corde, iracundā istā cōmouionem animi. Quisquis ergo irā suam & animum cōcitatum declarat extrinsecus gestibus uel uerbis furorē spirantibus, reus erit cōsilio: sed qui etiā uerba contumeliosa addit, reus erit gehennæ ignis. Ecce tres in ira gradus: primum in animo, secundū in gestibus, postremū in uerbis ignominiosis. Atq; ijs tribus gradibus dominus opponit tres etiā suppliciorū gradus, quorum primus est, reus erit iudicio: secundus, quia reus erit cōsilio: tertius, reus erit gehennæ ignis. Hinc etiam patet, peccatum peccato grauius esse, atq; ideo etiā illis grauioribus supplicia acerbiora deberi. Quod ad uoculam racha attinet, ait Augustinus se quendā Iudæum interrogasse, illumq; respondisse, uocē eā esse non significantē aliquid, sed indignātis animi motum exprimentem. (milha, sicut apud nos interiectio indignantis.) Quod si autem qui succenset, insuper etiam proximum suum contumeliose adoritur, & fatuum

Chrysoſt.

Psalm. 4

Augustin.  
Chrysoſt.

Augustin.

Hierony.

Augustin.



uocat sine causa, iam iam gehēnam ignis commertur. Atque hic quidem exemplum nobis proponitur iustissimi iudicis, qui ob unicum uerbulum contra proximi charitatem prolatū supplicium inferre uult gehennæ. Quæres adhuc, cuiusmodi sit harum trium pœnarū discrimen, iudicij, consilij & ignis. Responder en tibi in hoc Augustinus: Reus iudicij est, de quo discernēdum adhuc est in iudicio, an aliquid cōmeruerit uel non, ita ut transgressio ipsius ambigua sit. Reus est autē consilij, de cuius quidē transgressio

ne non ambigitur, sed tamen quo supplicij genere sit afficiendus, id ipsum adhuc consultatione indiget. Sed reus gehennæ ignis est, de cuius tum præuaricatione tum supplicio constat, ut hic iratum certum est pœnā meruisse æternam. Hinc itaq; iam facile patet, quomodo Christus impleuerit legem & perfecit, lex enim punit occidentem, eo quod facit contra fraternam charitatem. Christus autē, quia perfectior est, uult nos nec animo, nec gestibus, nec cōuitijs aliquam iram declarare. Nihil enim ita studeat deus, ut nos mutuis charitatis nexibus colligare, propterea & per semetipsum & per discipulos suos, tam in nouo quā in ueteri testamento, plurimo hoc mandatum cōmendat sermone, & uehemens animaduersor atque punitor est eorum, qui præceptum tale contemnunt.

3 ¶ Simul atq; autem Christianos suos docuit dominus fraterne & amice unā uiuere, neq; quicquam indignari, non ignarus utiq; fuit ille tamen fragilitatis humanæ, siquidem non omnino illum extinxit affectum: primo quod dem, quia impossibile est hominem passionibus liberari, nā ut regere illas possumus, ita absq; illis esse nō possumus. Porro iā nos mitissimus ille dñs recōciliari inuicē docet, si quā irasceat cœperim⁹ proximo nostro. Ait ergo. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, uade & reconciliare fratri tuo. Augustinus hic uult dominum uoluisse nos præmonere, fas non esse in animo tenere aliquid, ut in odium indignatio conuertatur: sed potius curandū, ne sol occidat super iracundiam nostram. Egregie expendit uerba hæc

Ephe. 4  
Chrysofostomus, & dicit: O ineffabilem benignitatem, atq;



immensum erga homines amorem dei. Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit, quid enim his uerbis mitius esse possit? quid lenius? Interrumpatur, inquit, ministerium meum, ut tua charitas integretur. Duo hic nobis intelligenda, proponit dominus. Alterum offerendum esse ad altare, adeo etiam tum sancte tum constanter, ut si quid inter offerendum inciderit, oblationem relinquendam ibi esse, neque rursus auferendam: quoniam offerre & opus est beneplacitum deo, & actus latræ. Quam obrem ipse etiam dicit per prophetam: Offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo. David quoque uidens optimates omnemque populum suum offerre in templum, dixit cum gaudio magno: Domine deus Abraam, Isaac & Iacob patrum nostrorum, custodi in æternum hanc uoluntatem cordis eorum, & semper in uenerationem tui mens ista permaneat. Ecce quomodo sanctus ille propheta, quem dominus inuenisse se seruum secundum cor suum testatus est, rogauit dominam, ut populum suum in hac bona uoluntate cõseruet in offerendo, quod nisi opus esset beneplacitum deo, David tãtopere non petisset. Præcepit hoc ipsum etiam dominus ut quilibet uir ter in anno appareat in loco quem elegerit deus. (hoc est, Ierusalem) & sequitur, Non apparebit in conspectu meo uacuus, sed quilibet offeret iuxta quod habet, secundum benedictionem domini dei sui. Vnde docemur grati esse deo nostro, & offerre illi pro facultatibus nostris, quas largitus est nobis. Hinc etiam mirari desinamus, si quando uidemus maxima quorundam bona euanescere & dilabi, opulentissimorum hominum liberos de pauperari. forte enim maiores eorum male corraserunt diuitias per usuram & fraudem, per fas & nefas, forte etiam bonis suis non honorarunt deum, neque in oblationibus sui cultus, neque in eleemosynis pauperum. Alterum est quod præclare hic admonet Chrysostomus. Audiant qui sacris initiati, tamen in inimicitijs ad communionem altaris accedunt, audiant etiam illi, qui non sunt initiati, offerunt namque & ipsi munus & hostiam, orationem dico & eleemosynam. Ecce potius uult dominus te orationem tuam relinquere, & reconciliari proximo tuo, tuncque de

*Offerre.**Isaie. 60**1. Par. vii.**Deute. 16**Exodi. 23.**Chrysost.*



Matth. 6.  
Luce. 6

mum ad orationem redire. Ideo enim deus homo factus est, omniaque fecit, ut nos in unitatem congregaret. Ex altera parte præcepit, ut remitteramus proximo nostro noxam: ex altera iubet offensorem, misso sacrificio, reconciliari proximo suo. Sicut ergo prohibuerat ante irasci, ita hic rursus præcipit, si quis forte indignatus sit, proximo suo reconciliari iterum, eo quod oratio sua, omneque sacrificium opera sint minus grata deo, nisi in gratiam redierit cum proximo suo. Recte itaque præcepit Apostolus, ut ne sol quidem occidat super iracundiam nostram. Voluit quoque eo ipso declarare dominus gratissimum esse deo sacrificium, quod quis ex charitate offerat.

Eph. 4

¶ Quid si autem, inquit Augustinus, proximus quem offendi, a tibi sit trans mare, uel in remotioribus locis? Tam diu ne ad aras manebit oblatio mea, donec redeat ille, ut sic denique post tantum itineris emensum spacium ego offeram? Respondet ille tandem post multa, & dicit nos ad reconciliationem properare debere, cum cogitamus nos proximum nostrum offendisse: neque tamen semper nos abire debere pedibus corporis, sed potius adfectu mentis nos humiliare coram proximo nostro, in conspectu eius cui munus tuum offers. Quod si itaque ille sit præsens, posses eundem quoque rogare, & reconciliationem postulare: ita tamen, ut prius quoque gratiam postularis a deo, qui etiam hoc uult, ut cum offers, memor offensio- nis fraternæ, proponas tibi reconciliationem, eodemque deinceps adfectu animum tuum reuoces ad præsentem oblationem. Atque sic fratres Ioseph petierunt reconciliati-

Gene. ult.

onem: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi uerbis illius diceremus, obsecro ut obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quæ exercuerunt in te. Post reconciliationem ueniens offer munus tuum, eoque nimirum aperte dominus designat, deum magis intueri offerentem quam oblationem, sicut & Abel respexit & ad munera eius. Ecce hic Abel præcedit. Sed & Christus ipse magis respexit mulierem illam uiduam, quæ in gazophylacium mittebat æra minuta duo. Quisquis enim dum sacrificium offerre uult domino, seipsum subtrahere cupit illi, meritum nullum habet, quo-

Gene. 4  
Luce. 21



modo & deus ait per Paulum: Qui subtraxerit se, nō placet animæ meæ. Habens itaq; aliquis similitatem aut odium cum proximo suo, non respicitur à deo, neque illi gratus est, usque adeo dissidia fraterna odio sunt deo, qui non est utriusque deus dissensionis, sed pacis. unde & Iohannes dicit: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obceperunt oculos eius. Vos modo in Christo dilectissimi, nolite indignari proximis uestris. Quod si autem cœperitis irasci, sol tamen non occidat super istam iracundiam uestram. Quantum in uobis est, pacem habete ad omnes. nã & deus uos in pace uocauit, sicq; omnes oblationes uestre, orationes, elemosynæ, & opera bona omnia accepta erunt deo, uobisq; meritoria uitæ æternæ, quam uobis & mihi largiatur largitor bonorum omnium deus, qd est in secula benedictus, Amen.

Heb. 10  
1. Cor. 14  
1. Iohan. 2  
Eph. 4  
Roma. 12.

HOMILIA TERTIA DOMINICÆ SEPTIMÆ DE IRA.

**F**ratres charissimi, hodiernum illud euangelium sanctum eò factum, ut ne succenseamus proximo nostro, sed fraternam cum illo charitatem constantissime foueamus. Quod si autem leuiter aliquando ad iram prouocemur, ut hic quoque modus nobis sit & ratio certa, quando ira peccatum aut non, totam hanc materiã lubet breuiter pertractare & sub decursu: quoniam in se amplissime patet, possetq; per multas homilias extendi. Dico ergo principio, iram cupiditate esse uindictæ. Est autem ira quædam bona, alia quoq; sufferri potest, alia uitiosa & peccatum. Primũ omnium ira bona ea est, cum quis sibi ipsi suoq; peccato indignatur. & illud in se cupit ulcisci atq; punire, sic Paulus ait, Si nos diiudicaremur, nõ diiudicaremur. Sancta hæc ira est & salutaris, deoq; bñplacens, de q; Dauid: Irascimini, inquit, & nolite peccare, quæ dicitur in cordibus uestris, & in cubilibus uestris cõpungimini. Sed & illa quoq; ira bona est, cum uir bonus quispiam

Ira.  
1. Cor. 15.  
Psalm. 4



irascitur peccatis & sceleribus hominum, dummodo pro  
ueniat illa ex zelo iustitiæ. **V**tinam autem principes, iudi-  
ces & consules huiusmodi iram haberent in corrigendis  
malis, quantum uitiorum caueretur? **E**xemplum huius  
**Numc. 25** iræ habemus in **Phinees** filio **Eleazari**, qui deprehensum  
cum muliere **Moabitide** **Iudæum** occidit, dixitq; ad **Moy-  
sen** dominus: **Phinees** auertit iram meam a filiis **Israel**, ga-  
zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse deletem  
filios **Israel** in zelo meo. **S**ic indignatus est & **Marathias**,  
**1. Mac. 2** cōspicatus **Iudæum** quendam sacrificare idolis ad iussum  
regis. tunc enim cum dolore contristatus est, & contem-  
pnerunt omnia membra eius: inflammata quoq; est ira  
sua secundum iudicium legis, & irruens occidit eum. **P**le-  
næq; est scriptura tota exemplis innumeris huius iræ, ho-  
nestæ sane & salutaris, ad quam pertinet illud præceptū  
**Ambrosij**: Irascimini ubi est culpa, cui irasci debeatis. **N**ō  
**2. 1. Offi.** potest enim fieri, ut non rerum indignitate moueamur,  
alioquin non uirtus, sed lenitudo ac remissio iudicatur.  
¶ **A**tq; hæc ipsa ira non tantum peccatum non est, sed  
& quisquis in magistratu constitutus illam non habet, is  
quoq; peccat. **S**ic **Saul** cum regem **Aggab** uinctum in bel-  
lo cepisset, & parceret illi, indignatus est dominus super  
eum, & dixit: **P**œnitet me **Saul** fecisse regem. **E**t cum rex  
**Achab** parceret in bello **Benadab** regi **Syriæ**, ipsumq; di-  
**3. Reg. 20** mitteret inito pacto, uenit **Micheas** & dixit: **Q**uia dimissi-  
sti uirum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro  
anima eius, & populus tuus pro populo eius. **E**cce quia  
**3. Reg. 22** non commotus est zelo & indignatione. **Achab** super re-  
gem, iratus super eum dominus, puniuit illum, ira ut in-  
terficeretur in bello a populo regis **Syriæ**. **P**ericulū nunc  
quoq; est, ne qui in magistratu sunt cōstituti, grauitè of-  
fendant deum, dum impune permittunt cuiq; sua etiam  
maxima uitia cedere. **Q**uicunq; enim sic irascuntur, non  
**2. 1. 110.** peccant, teste **Gregorio**, cum ait: **S**i nobis & proximis no-  
stris irascimur, non peccamus. siquidem ex uirtute id pro-  
ratiūm. uenit, eo quod animus uere generosus indignetur oportet,  
cum uider uitia palam fieri impune. **C**ōtra si indigna-  
tio huiusmodi feruet, fit ut homines magis ad uirtutes in-  
citentur. **V**nde & **Chrysostrōmus** inquit: **S**i ira non fuerit,



nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina confitentur, patientia enim irrationalis uitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos ad malum inuitat.

2. Est alia ira tolerabilis, neque peccatum mortale, atque id gemina uia. Quidam enim sola irascuntur impatientia in aduersis, quae impatientia magis est quam ira, quamuis enim sint impatientes, uindictam tamen non cupiunt, atque ideo etiam peccatum mortale non est, nisi huiusmodi impatientia usum prohiberet rationis: de quo alias, quomodo homo debeat esse patiens & in quibus. Alij uero quum sint naturaliter calidi, faciles & proni sunt ad iram, statim incenduntur & feruent: quae commotio prima, citra praemeditationem exurgens in homine ex sola sensuualitate, uel peccatum omnino non est, uel certe exiguum & ueniale. Tantum curandum est hic, ut in alijs primis motibus, ne crescat, ne perseueret, neue tu consentias, quoniam sic ex ueniali fieret mortale. Hinc Dauid ait: Declina ab ira, & derelinque furorem. Sed & in legibus imperatoris ita cautum est, quod quicquid calore iracundiae uel fit uel dicitur, non prius fit ratum, quam si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse. Possem etiam tertio loco sub hunc ordinem referre eos, qui scienter & meditato animo irascuntur etiam cum cupiditate uindictae, sed exiguae alicuius, neque admodum nociuae. Atque haec etiam ira dicitur imperfecta, quoniam licet ex parte irascentis sit perfecta, ratione tamen obiecti & imperfecta & exigua est, neque pro peccato mortali censetur. Ita si quis uindictam cupit pro contumelia sibi illata, iuxta ordinem & formam iuris, non autem uult ulcisci se contra praescriptum & dictamen iuris, peccatum quoque mortale non est, imo si quis id faciat ex amore & obedientia magistratus, bene facit, siquidem ira haec mater omnis honestae disciplinae. Et tantum de ira quae peccatum non est, aut ueniale tantum.

Psal. 36  
L. quicquid fit de reg. iuris.

3. Est autem ira etiam peccatum mortale, idque adeo quadruplici, aut etiam pluribus rationibus.

1. Si quis praemeditata uoluntate apperat uindictam, uelique proximo suo damnum etiam notabile & ingens inferri citra iuris praescriptum, hoc nimirum peccatum est

E E



**Matth. 5** mortale, dicente domino in euangelio: **Qui irascitur fratri suo, reus est iudicii.**

2. ¶ **Si** quis animum suum irarum uerbis aut gestibus importunis declarer, iridem peccat, quod hic dñs admonuit in eo quod dixit: **Quicūq; dixerit fratri suo racha.**

3. ¶ **Quum** etiam cupiditate uindictæ conuulsiari q̄s incipit, & uerbis uti cōtumeliosis, puta fatue, insane, clau de, fur, latro, nequam, homo nihili: hoc quisq; fecerit ex ira sine causa, peccatum magnum facit, de quo etiam dominus: **Qui, inq̄, dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Dices: Atq; Christus quoque Iudæos stultos ac cæcos, & duos illos discipulos euntes in Emaus, iridē stultos & tardos corde uocauit. Paulus etiam Galatas stultos & incircuncisos, atque uelut effasci natos increpauit. Audio, sed tu uicissim Augustinum mihi audi. Et Christus & Paulus idipsum fecerunt, ut sine ira, ira non citra causam, q̄a in correctionem illorum, non cupiditate uindictæ, quo nomine in hoc casu iraris peccatoribus adnumerari non debent. Potest iraq; a nobis bono animo in disciplinam & piam correctionem proximus noster sine peccato fatuus aut stultus appellari.**

**Matth. 23**  
**Luc. 24**  
**Galat. 3**

**Augustin.**

4. ¶ **Quod** si quis autem animo irato non tantum cō uitijs & contumelijs pugnat, sed iam etiam factum ipsum adgreditur, contendit, miscet iurgia, percutit, offendit, uulnerat, aliena diripit, perdit, exurit: ea demum magis nociua, uirulentaq; est ira, de qua plura in homilijs de quoto præcepto.

5. ¶ **Quum** quis iram adeo animo suo conceperit perseveranter, ut plane efferuescēs crescat & solidetur ac obfirmetur in odium, quod homicidio comparatur, cum inquam sic ex festuca trabes, ex paruo peccato peccatum fit maximum, grauissima sane est offensa dei & proximi.

**Johan. 8** sic Iohannes inq̄, eum q̄ odio habet fratrem suum, esse homicidam. **Habetis** en hic dilectissimi, multos iræ gradus, quos quā fieri potuit breuissime, explicauim⁹, cepimusq; primum statim ab illa laudabili ira, & peruenimus usq; ad pessimam istam, quæ odio & homicidio inuoluta est. **cepimus** inquam dicere de illa, de qua Sapiens ait: **Melior est ira risu, q̄a per tristitiam uultus corrigit animus**

**Ecl. 7**



delinquentis. & progressi sumus usq; ad iram, de qua Iacobus: Ira, inq; uiri iustitiam non operatur.

Jacobi. 3

4. ¶ Quum autem grande adeo peccatum sit ira, grauius etiam illo offenditur deus, atq; ideo toties in sacris literis prohibetur. Ecce enim Ioseph præcepit fratribus suis, ne alter alteri succenseat in uia. Et Iob dixit: Non te superet ira, ut aliquem opprimas. Sapiens quoq; ille ecclesiastes ait. Ne acceleres irasci. ira namq; in sinu stulti requiescit. Quo facit illud Jacobi: Omnis homo sic uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram.

Jaco. 1

Non ab simile est istud Sapientis, qui præcipit: Aufer iram à corde tuo. quomodo etiam Iacobus iram & indignationem iubet auferri. Tu si uoles percurrere hoc modo omnem scripturam, & ubiq; inuenies quàm grauius deus prohibet iram, sicut & hodierno docemur euangelio, & à Paulo monemur puras leuare ad deum manus sine ira & contentione. Moueantur itaq; hīs & similibus monitis qui facile & temere irasci solent, ut saltem temperent iram erumpentem ac leuiter nimis efferuescentem.

Jacobi. 1

Matth. 5  
1. Tim. 2

¶ Quod autem multum displiceat deo ira huiusmodi, en tibi testem Sapientem, quum ait: Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & uir peccator continens erit illorum. quoniam non parum contemnit deum iratus, dum uindictam deo debitam, sibi usurpat. sic enim dominus ait per Moysen: Mihi uindictam, & ego retribuam. Quando iratus deo non permittit uindictam, potestatem sibi uendicat diuinam. Præterea eo quoque non parum deo displicet ira, quoniam hæc deum ipsum & spiritum sanctum suo expellit domicilio. Aut ubinam locus dei? ecce tibi respondens Daud, inquit: In pace factus est locus eius. Contra in ira locus diaboli est, iuxta sententiam Gregorij super illud Pauli: Nolite contristare spiritum sanctum. Quum ira pulsat pectus animumq; nostrum, perturbat domicilium spiritus sancti: neque raro dum præualet ira, totam expellit trinitatem, & diabolum hospitem inducit.

Ecc. 29

Deut. 32  
Roma. 12

Psalm. 79

Eph. 4

¶ Certum est enim, quod quàm abominabilis est apud deum ira, tam grata diabolo est, siquidem & igni seu incendio spirituali simillima est, sicut enim inter reliqua elemē

EE ij



Ecc1.28

ta ignis & plurimum & celerrime nocet, ita magnum vitiorum incendium diabolus parat ex igni & facibus iræ, de cuius ardore Sapiens sic ait: Secundum ligna sylua, sic ignis ardescit: & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Multa ibidem de incendio iræ habet Sapiens. Et egregie obserua, quod sicut ligna, ita ignis est, sic itaque diuites & potentes indignantur, & nihil non proferunt, quo terreat alios & dehortentur. Nimis enim quàm nociuum est, potentem esse iracundum, sic ut istum furorem cohibere & (ut ille ait) catenis nequeat compescere, quàm facile fieret, ut ex huiusmodi flamma & scintilla incendium pararet, quo regionem totam perderet.

Potens iracundus.

¶ Multum uero lucri ira conciliat diabolo, cui, dici non potest, quot animas illa acquirat. multum enim irrequiescitur est, qui multis leuiter irascitur: neque sibi tantum, sed toti uico, oppido, imò & regioni uniuersæ lites infert, iurgia miscet, contentiones seminat, & quod multa pestis est, non homo, neque multo diuersum accidit iracundo à cane improbo, qui dum alios mordet, cæteros quoque canes suis tum latratibus tum moribus irrat. Quamobrem & Sapiens dicit: Vir iracundus prouocat rixas, patiens autem excitatas compescit. Quando itaque peccatum est ira, deumque grauius adeo offendit, & cuiusdam diaboli tantopere exhilarat, decet utique nos pietate & mansuetudine Christiana, omnem iram fugere, sicque & deo magis placebimus, & humanæ naturæ propinquiores erimus, siquidem ea benigna, patiens, mitis & suavis est. Aut quid aliud sibi uelle putas, nisi humanitatem præ se ferre, quod non dedit natura homini unguis præacutus & aduncos, dentes asperos & incuruos, cornua horrida, faucem amplam, & os mordax, cuiusmodi habent leones, ursi & apri, lupi atque consimilia bruta effera & furiosa animalia? Aut quid est obsecro, quidue refert (tam hic appello conscientiam irate & furibunde) assiduo latrare instar canis, cornibus petere ut taurum, mordere quasi lupum, subinde impetere calcibus uelut equum, & ferire dentibus instar apri, latrare quoslibet ut leones aut ursi solent, pungere ut uiperæ? Non sic inquam, non sic homines, quos cogitare de-

Natura homo benignus.



get & meminisse, homines esse se, & hominem ab humanitate dictum potius quam ab humo, neque semetipsum comparare debere iumentis insipientibus. Quin magis mites sint, patientes & benigni, quoniam mites hereditabunt terram, & mansuetos suscipit dominus, peccatores autem humiliat usque ad terram. Quamobrem & Paulus dixit: Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt ueritati. Quisquis enim sic mitis fuerit & pacificus, huic pacis autor & largitor dominus daturus est pacem æternam, quam omnibus nobis concedat ille hic & in æuum, Amen.

Psalm. 136  
Matth. 5.  
Psalm. 146  
1. Tim. 2

## HOMILIA QUARTA ET

ultima de ira.

**E**tsi ex animo pio & adfectu bono proficisci possit ira honesta illa & laudabilis, quam habuit Moyses super eos, qui uitulum aureum adorauerant, e quibus etiam tria & uiginti millia interfecit. Leuita. 24. q in hoc ei auxiliatores adfuerant, benedicti sunt. Habuit consimilem iram & Iehu super sacerdotes Baal, quos una die curauit occidi, & laudatus est a domino. Huiusmodi ira irati sunt Iudæi omnes aduersus tribum Benjamin, de qua uiginti quinque millia occiderunt, iam ante diuinitus certiores facti de uictoria. Et tali ira succensuit Paulus mago Elimas, cui dixit: O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere uias domini rectas. Et nunc ecce manus domini super te, & eris cæcus non uidens solem usque ad tempus. Attamen quam bona ira illa est, tam rursus mala & nocua est ista, quæ ex peruersa proficiscitur natura. nocet enim corpori, uitæ, animo & rationi, ipsisque adeo cohabitantibus irato. Principio namque nocet ira proximis nostris. siquidem iracundus uicino suo intolerabilis est, iuxta illud Sapientis: Graue est saxum & onerosa arena, sed ira stulti utroque grauior. Namque dum iratus amicitiam scindit & gaudia perdit, tolerari non debet, sicut Sapiens inquit: Homo iracundus incendit litæ, & perturbat gaudia.

Exodi. 32

4. Reg. 10

Jud. 10

Actu. 13

Damna  
iræ.

Proue. 27

Ecc. 15

EE iij



- Prone. 22.** Atq; ideo præcepit Salomon: Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum uiro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Et alibi: Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Atque ut maxime quis irato se adiungat, non diu tamen durabit illa amicitia, eo quod statim ubi sufflaueris, quasi ignis exardescit. Quoties autem iratos facti mali poenitet, sed frustra & sero nimis? Quid quod iracundi maxima mala coniunctissimis amicis suis inferunt?
2. Neq; minus ira ipsa sibi poena existens, irascenti nocet in corpore & animo: corpore quidem, quoniam dum irascitur, membris omnibus deformatur. uertit enim flammantes oculos, inflatam & turgentem commutat faciem eaque nunc rubore perfundit, nunc rursus pallescit tota: manus tremunt, lingua titubat, totusq; homo alius uideatur omnino, ut iam necessarium sit, rem illam magnam esse & homini aduersam, quæ sic illum immutat & alterat: neque uero citra magnum detrimentum, uis & uolentia tanta fieri potest. Hinc ait Seneca: Nihil aequè proderit iratis, quàm intueri deformitatem iræ, nam in ea facies turbator ora pulcherrima scædat, toruos uultus redemit, & linquit decor omnis iratos. Aiunt periti, uel graui morbo corripiti, uel omnino emori eum, qui incensus irabiberit. Mulier quoque si furore commota lac præbeat paruulo sugendum, magnum malum ac defectum, quem per omnem uitam patietur, aut ipsam etiam mortem illi infert. Eat nunc quisquis uolet, & irascatur, sæuiat, furiet, quando res tam nociua est iracundia. Quum itaq; philosophi perhibent, iram multos inducere morbos, abbreviare uitam, nolite contemnere tam salubria monita. id enim & Sapiens testat, quum ait: Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducit. siquidem dum tristitiam incutit, per illam quoque exiccat ossa. Vitanda igitur & fugienda est ira non tantum ob immoderatam intemperatiam, sed & propter sanitatem. Ira, inquit Albertus, est uentus pestilens, hois interiora depascens, uitam minuens, guerras & rixas commouens, castra & uillas consumens. Prudētius quæ in Psychomachia, ipsosq; ad eo iræ & patientiæ conflictu, sic ait:



Ipsa sibi est hostis uesania, sc̄q; furendo  
Interimit, moriturq; suis ira ignea telis.

¶ Sicut autem corpori & uitæ, ita animæ nocet ira, quo  
modo em̄ iratus utat ratione sua, quando & David oculū **Psal. 6. 30**  
suum præ furore turbatum esse conqueritur? Vulgatum  
est hoc, atramen ueḡs, quod irati dicere solent: Ira mihi  
animum prurbar, quo minus possim ueritatem uidere. Di  
abolus ergo in hoc piscatorem agit, quomodo em̄ hic in  
piscatione aquam perturbat, ne uideant retia pisces, sicq;  
facilius capiant; ira diabolus, quādo congregationem ali  
quam hominum cupit irretire peccatis, ira perturbat, &  
tunc omnia miscent ac confundunt. Quid quod rarus,  
imò penè nullus est, q̄ ditescat ira? dum em̄ animum exa  
tiare cupit, forte pro ictu uno expendat oportet aureos  
centū. Sic sapiens bona ait ira & iurgis imminui. Sunt q̄  
dum satiari uolunt animum, uerba inflicta rependen  
tes, pereant, bonisque omnibus excidant, ne dum ipsi,  
sed & filij.

3. ¶ Dicit autem non potest, quantum ira incommodet  
animæ, atq; id quadruplici uia: Primum statim facit ira,  
ne deus alicui p̄tā dimittat, iuxta illud Sapientis: Homo **Ecc. 28**  
hoi reseruat iram, & à deo quærit medelam? In hoïem si  
mitem sibi non habet misericordiam, & de p̄tis suis de  
precat; ipse cum sit caro, iram reseruat, & p̄ti remissio  
nem petit à deo? Quis ergo orabit pro p̄tis illius? quasi  
dicat: Nemo. Magnum itaq; hoc est in ira, quod quā diu  
q; illam retinet, deus quoq; iram reseruat sup̄ ipsum. Vsq;  
adeo nemo pro p̄tis irati audeat rogare d̄m.

2. ¶ Facit quoque hominem pronum & procliuem ad  
omne malum, sic em̄ Salomon ait: Qui ad indignandum **Prout. 29**  
facilis est, erit ad p̄tā procliuior. Quid multa: Ianua om̄i  
um uicior; est iracundia, qua clausa, uirtutibus intrinse  
cus dabitur q̄s. eadem etiam aperta, animus ad omne ui  
tiorum genus armat, eo q̄ usum rōnis impedit ira: q̄ im  
pedito, obstaculum & ueluti repagulum obiectū est om̄i  
bus uirtutibus, quamuis etiam uirta quædam immediate  
ex ira nascant, puta iurgia, uerba, homicidia, bella, rap  
pina, incendia, piuria, blasphemix, & hm̄ oī innumera.

1. ¶ In hoc quoq; multum nocet ira animæ, q̄ ipsam  
**EE iij**



excæcat. sicut enim coruus quum nactus est cadaver, primum statim adcurrit ad oculos, ita diabolus quoque primum omnium festinat ad oculum intelligentiæ, quam quoniam modo depræderur, iam antea declarauimus. Quoniam ubique ira est, ibi sapientia non dominatur. Regi, inquit Sapiens, acceptus est seruus intelligens, diabolo gratior est cæcus, & excæcare iram, testatur Iob, dicens: Caligauit ad indignationem oculus meus. Quod & Dauid per similitudinem non absurde expressit, quum ait: Supercecidit ignis, & non uiderunt solem. Ignis iste ira est, super quemcunque ergo ceciderit ignis iracundiæ, uidere non potest solem iustitiæ: quoniam ira excæcatus est, ut recte dixerit ille sapiens: Duo aduersa sunt prudenti consilio, præcipitatio, & ira.

Proue. 14

Iob. 17  
Psalm. 57

Jacobi. 1

Sapient. 12

Iob. 36.

Isaig. 1

Proue. 27

Præterea in hoc quoque multum incommodat ira animæ, quod priuatur omnibus bonis & uirtutibus, si quidem iustitiam homini adimit, quam ira uiri non operatur. Sic iudex ira commotus, nequit discernere iustum ab iniusto: quumque sibi uideatur egregie pro dictamine iustitiæ egisse, re tota excidit, quoniam iudicis est cum mansuetudine causam omnem audire diligenter, iuxta illud Sapientis: Tu dominator uirtutis, cum tranquillitate iudicas. Habemus super ea re Glossam egregiam in Iob, quæ dicit, Non te superet ira. quæ facit, ut qui corrigit, sapius sibi uideatur bene facere, quum peccat. ait ergo, Si ira correctorem superat, ante opprimit quam corrigit: & sub specte zeli iustitiæ, furor est. Zelus enim iustitiæ, qui est quasi ignis, ardere debet oleo misericordiæ: & sicut ignis confringit lampadem, si non sit in ea oleum: ita zelus iustitiæ cor hominis destruit, nisi adsit oleum misericordiæ. Cupis exemplum huius uidere? Ecce in Christo zelus iustitiæ uolebat excidium Hierosolymæ, ita ut etiam non maneret lapis super lapidem: sed accessit oleum misericordiæ, quia uidens ille urbem, fleuit super eam. Deus ipse quoque ostendit se pœnam malis, quam infligit ex iustitia, inuitum id facere per misericordiam. ira enim dicitur per Isaiam, Hodie ego consolabor super hostibus meis, & uindicabor de inimicis meis. Misericordiam quoque aufert ira, teste Salomone, ira non habet misericordiam.



am, nec erumpens furor. Ira enim charitatem extinguit, ideoq; ubi hæc abest, misericordia esse nulla potest. **Cate**  
**ra** mitro. Postremo ad materiæ huius conclusionem, quã-  
do auditum iam est, quã iratus sit deus omnibus iracun-  
dis, quãq; grata sit ira diabolo, quanta sint incommoda  
quæ nobis ex ira emergunt, admonitos uos omnes uolo,  
iram istam, furorem breuem fugere, uitare, compescere,  
atq; pro ea diligere pacem, sectari charitatem, mansuetu-  
dinem, & benignitatem, omnemq; amicitiam. & sic filij  
dei eritis, hæredes quoque futuri uitæ æternæ. **Matth. 5**  
**Caueat** etiam sibi quilibet homo, ne nimium appetens sit uindi-  
ctæ citra ordinem iuris, & sola ultionis libidine. **Roma. 12.** Sed uel  
deò uindictam omnem relinquat, & ipse retribuet: uel si  
ultionis cupidus est, cupiat illam ex præscripto iuris & a-  
nimo bono propter iustitiam, & ne dicat, Reddam ma-  
lum pro malo. **Proue. 25** Expecta dominum, & liberabit te. Potens  
est dominus, ut possit te ulcisci de eo qui meruit uindi-  
ctam. **Quod** si immunis permanseris à superioribus incõ-  
modis iræ, multum etiam mereberis apud deum tua pati-  
entia & mansuetudine, ac propterea lætaberis, uidēs uin-  
dictam, ut inquit Dauid. **Psalm. 57** Vindictam autem tantam sumet  
dñs de illo, nisi ipse antea deposuerit à se per pœnitentiã,  
ut totus mūdus satiaret ex illa: qm̄ uermis eorū nō moriet,  
& ignis eorū non exstinguetur, & erunt usq; ad satietatem  
uisionis omni carni. **Isai. vlt.** Quotiescunq; igitur aliquis offende-  
rit te, sic apud te cogita: **Felix co-** Quod si confessus ille & contri-  
tus desuper pœnitentiam egerit, conciuis & frater mihi  
erit in cælo, ubi ego eum plus omnibus hominibus iam  
in terra degentibus diligam. **gitatus.** Quid itaq; ipsum offenderẽ  
aut ei intenderem malum? Sin per pœnitentiam non de-  
posuerit istam peccati sarcinam, feret malum, & supplici-  
um suum habebit, idq; maius quã uel ego, uel uniuersam  
mundus ei possit inferre. **Satius** est id omne me re-  
linquere deo, qui me & ulciscetur, & remunerabit de pati-  
entia, ait enim, **Deut. 32** Mihi uindictam, & ego retribuam. Deum  
immortalem, quãto melius mihi hoc est, quã breui hac  
ultionis uoluptatula poritum detrudi tandem in gehennam:  
**Quisquis** nanq; per se quærit uindictam, occidit se-  
metipsum, ut ait Iob, **Job. 5** Virum stultum interficit iracundia.

EE ♡



**Augustin.** Quod facit illud Augustini, Nemo malus est, qui non ante  
**L. i. cōfess** tea maximum sibi inferat malū. Et idem istud eiusdem  
**Chrystost.** Iussisti domine, & ita est, ut sibi sit pœna omnis inordinatus  
 animus. Sic Chrystostomus inquit, Nemo læditur nisi à seipso. quod & peculiari libro profecurus est ille. Quis  
 quis ergo dum se ulcisci cupit, malum insigere tentat proximo  
**Hier. sup** suo in corpore uel bonis alijs, sibi multo maximum  
**Psalm. 36** infert in animo. Atque hoc est quod Augustinus ait, In  
**Parte. 2** corpore occidere uoluerunt, in anima moriuntur: gladius  
 quoque ante penetrat animam persequentis, & corpus  
 illius qui offenditur. Aut quæ malum dementia est, quod  
 ubi quis paululum tibi ademerit bonorum, statim ipse tibi  
 auferre conaris cælum? Nolite ergo uinci & superari  
 ab ira, sed furorem istum potius quam potestis fortissime,  
 etiam catenis constringite, atque illud Pauli consilium se  
**Roma. 12** quimini, cū ait: Noli uinci à malo, sed uince in bono ma-  
 lum. Dimittite proximis uestris, & dimittet uobis deus,  
**Luce. 6** quoniam cum dimiseritis hominibus delicta sua, etiã pa-  
**Matth. 6** ter uester cælestis remittet uobis peccata uestra. Dimitti-  
 te inquam iuxta Sapientis consilium proximis uestris q  
 nocuere uobis, & uicissim cum oraueritis, dimittentur uo  
 bis peccata uestra. Honestum erit uobis coram deo & ho-  
 minibus, si concordēs & pacifici sine contentione uixerit-  
**Proue. 20** tis: quoniam, ut ait Salomon, honor est homini qui sepa-  
 rat se à contentionibus. Omnes autem stulti miscentur cõ-  
**Matth. 6** tumelijs. Expendite quod oratis quotidie, Domine, dimi-  
 te nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus  
 nostris, & misericors utiq; nobis erit **IESVS CHRISTVS**  
 dominus noster, Amen.

## DOMINICA VIII.

POST FESTVM PENTE

costes, *Euangelium Marci*  
octauo.